

# ORATIO HABITA

Viennæ, in Funere D. Stephani Hauptmanni Rectoris &c.

**D**icendum mihi est, & dignum quidem est dicere, de Magnifico & Clarissimi viri Domini Stephani Hauptmanni Cæsareæ Maiest. Consiliarij, & almæ Vniuersitatis nostræ Rectoris bene meriti, acerbo & lamentabili occasu, de peracta vita, pietate, honestate, virtutibus singularibus, eruditione celebri, doctrina perfecta, studiosissima deniq; promptitudine & voluntate erga Rempub. nostram litterariam. Sed quid in tanto luctu, dolore & lachrymis tanti viri obitu impeditus, dicere debeam, vnde exordiar nunc prorsus ignoro. Multæ graues sunt dolendi causæ, quæ me moestitia singulari pressum impediunt, quo minus  
oratio-

orationem conuenientem habere  
possim. Nam si de mea persona  
loqui velim, quanto paterno sane  
affectu me sit prosequutus, quem  
patris loco, ne dicam præceptoris  
habuisse, non pudet pronun-  
ciare, vix integer dies suffice-  
ret. Quid de mea persona dico.  
Luget & tristatur tota Respub.  
nostra litteraria: dolore oppri-  
mitur inelyta Iuris peritorum fa-  
cultas: deplorant mortem tam  
immaturam tot Magnifici & Cla-  
rissimi viri, quibus propter sin-  
gulares mores, pietatem, & mode-  
stiam gratissimus fuit. Has tantas  
causas dolendi, cuius nam oratio  
æquare potest? Mihi certè eas per-  
pendēti & animo reuoluenti vox  
& spiritus dolore intereluditur.  
Attamen vt aliquid tantū dicam,  
& significationem ostendam no-  
stri luctus, Luctum enim meū cum  
vobis omnibus communem esse  
puto,

puto, quæso veniam detis, si desiderio vestro aut non respondebit oratio, aut præclaris Rectoris nostri virtutes pro dignitate non exposuero. Quod certe tentarem, & qualiquali saltem oratione notiora vobis redderem, merita scilicet, & facta Nostri Rectoris: nisi me angustia temporis dehortaretur, luctus & animi dolor cruciaret: Egoq; scirem hunc nostrum Rectorem per omnem vitam vobis omnibus probatum, integrum, pium, doctissimum & virtutibus plurimis excellentissimum virum perspectum & cognitum esse. Ideo non instituam panegyricam laudationem, Super sedebo longa oratione primam ab adolescentia ætatem vobis describere, quanto ardore litteras didicerit, semina virtutum & doctrinæ avidissime imbibit, noctes atq; dies studijs incubuerit, Vigilijs non peperrit,  
nec so-

nec somno indulserit : Sed breui-  
ter studiū eius in Remp. nostram  
vobis enarrabo , ac alia quædam  
quorum memoria posteritati utilis  
est, & maxime illud, Obitum sci-  
licet tantorum virorum significare  
nobis magnam Reipub. mutatio-  
nem. Quod argumentum dele-  
gi non tantum , vt dolori meo in-  
dulgeam, & debitū munus sui er-  
ga me affectus præstem, sed vestra  
causa, ô adolescentes, hoc exem-  
plum propono, vt eius considera-  
tio de officio vestro & calamitate  
humana vos admoneat. Nemo  
est, qui nesciat , ex familia Vien-  
nensi clara ac honestissima nostrum  
Rectorem progenitum esse : Iu-  
uentutē honestis exercuisse & con-  
sumpsisse laboribus, virilem vero  
ætatem plurimis adornasse virtu-  
tibus, talemq; vitam egisse, vt Ro-  
mani Imperij summus Moderator  
suis iunxerit consilijs, vnde orna-  
E mentum,

mentum, decus, laus & gloriæ lumen toti patriæ Viennæ contigit: atq; vt Vienna merito gaudere debebat flore tanti viri, ita obitu plurimum certe contristetur, nisi quis forsitan præclaros doctos & egregios viros è medio tollendos esse censet, quibus sublatis omnis profecto politia, totus Reipub. status corruet. Porro multos nunc annos publice docendo Iuuentuti profuit: hunc Præceptorem exosculantur multi præclari viri: omnem enim conatum, operam, studium, omnes animi intentiones, cogitationesq; ad publicam Iuuentutis utilitatem contulit. Testes vos inuoco, Tu ô studiosa cohors, optimus eris testis, quanta cura, sedulitate & diligentia tibi consulere semper sit conatus. Mortuus est quidem, sed viuit virtus & doctrina, Viuit inquam studium promouendi, augendi, succurrendi, informandi,

formandi, conseruendi nostris iudijs & ingenio: nulla vnq̄ dies, nulla temporū mutatio nostri Rectoris memoriam delebit. Quid dicam, qua integritate, qua prudentia, quo indefecto vigore, secundo nunc Rectoratus officiū sustinuerit? Eò enim omnem suam intentionem dirigebat, vt publice & priuatim omnibus prodesse posset, omnium commodis intenderet, bonos iuuaret, egenos & dignos promoueret, omnibusq; quòd iustum et æquū est, exhiberet. Quanta nam obsecro, pericula, quot labores, inuidiam, simultates & alia plura incommoda pro salute nostræ Reip. subiit, non tantum priuatim consilijs iuuando fidelibus, sed in officio publico existens? Non erubuit, non veritus est ratione veritatis & iustitiæ habita nostræ Reipub. causam tuendam suscipere contra priuilegiorum obpugnatores.

E a Cum

Cum enim nostra Resp. multos annos oppressa fuerit, & per Magnificum virum D. Georgiū Oederum tum temporis Rectorem rei indignitate ad hoc commotum, sit quasi restituta, è tenebris seu potius captiuitate ac vinculis in lucem & meliorem statum redacta: hic Stephanus Hauptman pro sua prudentia, vt qui variarum Academicarum ritus viderit & cognouerit, ei nunq̄ defuit, omnibus viribus labefactatæ Reip. succurrendum esse censuit. Hic quoq; Rector, si modo fata vitam concessissent, sua doctrina celebres effecisset plurimos, Organa Reip. salutaria informasset: ita virtutibus Remp. nostram ornasset, iuuisset, vt & sibi plurimus honos ac dignitas inde prouenisset, nobis autem, totiq; statui nostro ornamentū summum & diadema factus esset. Nā qua memorabili beneficentia, quo  
sincero

syncero favore vos sit profequutus, nemo verius, quàm vosmet ipsi, prædicare potest. Quis igitur non doleat huius viri immaturam mortem? quis ea non contristetur? cui nam non lachrymas excutiat? Nā non nomine tantum Capitaneus dictus fuit, sed re ipsa hoc nomine dignus. Non Capitaneum amissimus tantū, sed Ducem talem, qui & bona & vitam potius pro nostra salute in discrimen coniecisset. Non amissimus Principem nostræ scholæ, sed patrem nostræ Reip. Non Rectorem, sed defensorem & patronum. Non Doctorem tantum, sed familiarem, familiari enim colloquio tam erudit, tam in formavit, quàm publico muneri intentus: O mors sæua, ô improba mors, ô crudelis, ô immatura, ô nefaria mors: Cur nostræ fortunæ, cur saluti, cur statui inuides? tecum ne an fato expostulem? Cur no-

bis nostri patroni Charissimi Re-  
ctoris vitam eripuisti? tantum ne,  
O parca, vobis Deabus licet. Di-  
cite, quisnam furor, quæ vos dæ-  
mentia cæpit? Quisnam tam aui-  
das iussit habere manus? Cur e-  
gregios quoslibet perditis, nulli par-  
citis, quæ nam vobis gloria inde  
venire potest? Vos neq; virtus,  
neq; doctrina, neq; ætas commo-  
uet, vnde nam parcarum nomen  
habetis, certe, non quod parca-  
tis, sed parcere, quod vestræ non  
didicere manus. Si libet, si de-  
lectamini hac pernicie, & vobis  
tanta est nocere voluptas, Lædi-  
te, quos rectum lædere iustq; si-  
nunt. Quin potius hominum  
pestes, infaustraq; pondera terræ,  
Ad Phlegetontas aquas trudite.  
Dignos vita viros & Reipub. sa-  
lutares vos arripere non decet.  
Sed quid iuuat iniustas toties mo-  
uere & iterare quærelas? cum sci-  
am,

am, omnes nos legibus mortis subiectos esse, & neminem Ius illud, ne moriatur, habere.

Immatura mors, virtus summa, & merita nostri Rectoris erga Rempublicam nostram hunc dolorem & lamentationem expresserunt : Quis enim non moueatur, quis nam à lachrymis sibi temperet, quotiescunq; sit recordatio benemeriti Rectoris. Hæc tamen omnia cum hic noster Patronus & Rector ipse sciuerit, cuilibet homini certum vitæ tempus diuinitus præscriptum esse : mortem communem esse omnibus, ac nulli parcere : ad mortem nos creatos esse : hanc quoq; vitam mortalem angustijs plenam, calamitatibus & miserijs refertam esse : tenuerit quoq; CHRISTI dictum, quod nec capillus decidet de capite suorum sine voluntate patris qui

in cœlis est : horam nouissimam etiam & finem miseriarum adesse videns ingrauescente morbo, & se vitam, atq; animam Deo patri, à quo habuit cuncta, summis votis & supplice prece commisit: Tranquillo animo, conscientia pacata decessit ex hac mortali vita & miseriarum valle Magnificus noster Rector vir excellens ingenio, eruditione, pietate, de Rep. litteraria optimè meritis, prudentia, & omnium virtutum laude clarus. Qui sine dubio, cœlesti nunc fruitur cōuersatione, & dulcissimo aspectu Dei cū omnibus angelis & sanctis, suæq; pietatis & virtutum iustiora præmia accipit & maiora, quàm vt humana vox vlla exprimere potest. Et quanq̃ amissimus virum summa vi ingenij præditum: multa doctrina instructum & exercitatum, ornamentum quoq; et columnam nostræ scholæ: tamen nostro

stro Rectori nunc gratulari debe-  
mus, quod ex humanis miserijs sit  
liberatus, & vtatur familiari nunc  
cōsuetudine filij Dei saluatoris no-  
stri. Abstineamus igitur à lachry-  
mis, à luctu, à mærore & iustitia,  
ne eius felicitati, eius beatitudini,  
eius saluti inuidere videamur.  
Porro tantorū virorū obitu Reip.  
periculum imminere, plurimæ hi-  
storiæ clare & abunde testantur.  
Quare, vt Deus pro sua misericor-  
dia hanc scholam tueri & conser-  
uare dignetur: vt det nobis pro  
hoc, quem iam amisimus Tutorem  
& patronum, alia membra saluta-  
ria, quorum tutela & defensione  
studijs nostris inuigilare possimus:  
vt sit De⁹ nobiscū v sꝓ ad cōsum-  
mationem sæculi: sedulo prece-  
mur, & votis ardentibus petamus:  
nostris quoq; moribus & vita or-  
nemus Remp. nostram. Confida-  
mus Deo, & iustitiæ, qui nunq̄ nos

derelinquet, sed contra omnium i-  
ctus, vel potius inferorum portas  
nos defendet & liberabit ab omni-  
bus impendentibus malis. Interim  
etiam benemeritorum virtutem &  
memoriam non sinamus apud nos  
interire, sed pro laboribus & sudo-  
ribus dignam referamus gratiam:  
simulq; vitæ miserias cogitemus,  
caducum esse & fragilem totius vi-  
tæ statum. Ita viuamus, quasi co-  
tidie morituri, atq; semper in ani-  
mo voluamus versiculum.

*Tendimus huc oēs, metam properamus  
ad vnam,*

*Omnia sub leges mors vocat atra suas.*

Deum precor vt huic nostro  
Rectori & patrono optime meri-  
to sempiternam requiem tribuat,  
eiq; & nobis omnibus post hanc vi-  
tam pro immensa sua misericordia  
& ineffabili bonitate felicem  
concedat resurrectionem  
& vitam æternam.

DIXI.

ORA-